



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Concilivm Africanvm I. Svb Anastasio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

Origenis
errores qui.

num infinuat his verbis: *Qua cum legissem, contulissemque cum Graco, illico animaduerti, quae Origenes de Patre, Filio, & Spiritu sancto impie dixerat, & quae Romana aures ferre non poterant, in meliorem partem ab interprete commutata: cetera autem dogmata de angelorum ruina, de animarum lapsu, de resurrectionis praestigiis, de mundo vel mundis Epicuri, de restitutione omnium in aequalem statum, & multo his deteriora, quae longum esset retexere, vel ita vertisse, ut in Graco inuenerat; vel de commentariolis Didymi, qui Origenis apertissimus propugnator est, exaggerata & firmiter posuisse, ut qui in Trinitate catholicum legerat, in aliis haeticum non curaret.*

CONCILIVM AFRICANVM I. SVB ANASTASIO.

Extat infra sub nomine Concilii Africani his verbis.

POST consulatum gloriosissimi imperatoris Honorii Augusti IV. & Eutychiani V. consulum, quinto Kalendas Maias, Carthagine in secretario basilicae Restituta. In hoc Concilio legationem susceperunt Epigonius & Vincentius episcopi, ut pro confugientibus ad ecclesiam quocumque reatu inuolutis, legem de gloriosissimis principibus mereantur, ne quis eos audeat abstrahere.

NOTA.

Gildo Tyrannus quomodo a Mascezil occisus.

Mascezil sacrilegii poenas luit.

Occasio, tempus & acta Concilii.

Concilium.] Cum Gildonem tyrannum potentissimum, septuaginta millibus militum Africam deuaftantem, Mascezil parua militari manu, quinque millium scilicet, in somno admonente cum Ambrosio, Deoque auxiliante felicissime fudisset & profugasset, fratremque germanus frater pro suo merito strangulari mandasset, rei prosperae insolentia Mascezil victor elatus, posthabito sanctorum consortio, quorum ope ac monitu Deo militans vicerat, ecclesiae immunitatem violare ausus, fugientes ad ecclesiam ab ea extraxit, atque paulo post poenas sacrilego dignas Deo vindici perfoluit, ut testantur Orosius & Zosimus lib. 5. Hac occasione Africanae ecclesiae episcopi, anno 399. quinto Kalendas Maias Carthagine Synodo conuocata ac celebrata, legatos deputarunt, qui ad imperatorem profecti edictum exorarent & impetrarent, ne quis quocumque reatu inuolutos ab ecclesia abstrahere auderet, si ad eam confugissent. Et dubium non est, quin haec legatio ab imperatore obtinuerit, quod Honorius imperator ad Sapidianum vicarium Africae pro Africana ecclesia rescripsit, his verbis.

ANNO CHRISTI 399.

Si ecclesia venerabilis priuilegia cuiusquam fuerint vel temeritate violata, vel dissimulatione neglecta; commissum quinque librarum auri (sic etiam prius constitutum est) condemnatione plectatur. Si quid igitur contra ecclesias vel clericos per obreptionem, vel ab hereticis, vel ab huiusmodi hominibus fuerit contra leges impetratum, huius sanctionis auctoritate vacuamus. Data VII. Kalendas Iulii Brixia, Theodoro V. C. consule.

Extat l. 34. de episc. & clericis. C. Theod. Baron. ann. 399. nu. vlt.

CONCILIVM
CONSTANTINOPOLITANVM
SVB ANASTASIO.

NOTA.

ANNO CHRISTI 400.

Concilium Constantinopolitanum.] Anno Domini 400. Anastasii 3. Arcadii & Honorii 6. Constantinopoli ecclesiasticarum necessitatum gratia viginti duo Asiae episcopi conuenerunt, & hanc Synodum ibidem celebrarunt, in qua ab Eusebio Valentinianopolitano episcopo accusatus est Antoninus Ephesi episcopus de septem criminibus, & maxime de simoniacis ordinationibus; de quibus haec Palladius in vita Chrysof. Tertiadecima distributione (id est, indictione) venerunt Constantinopolim Asiae episcopi, necessitatum ecclesiasticarum gratia: nobiscum remorati sunt praesentibus & aliis episcopis, ex Scythia quidem Theotimo, ex Thracia vero Ammone Aegypto, & ex Galatia Arabiano, metropolitans omnibus ac senibus, qui viginti duorum implebant numerum. Conuenientibus autem omnibus & communicantibus, obseruato Eusebio quidam Valentinianopolitanus episcopus congregato Concilio, vna sabbati astitit, libellosque tradidit Synodo, praeposito (ut decuit) Ioannis nomine, contra Antoninum episcopum Ephesi septem capitula continentes: vnum quidem, quod suis sacris vasis, argentum in nomine filii deposuerat. Secundum, quod sumptum de ingressu baptisterii marmor in suo balneo posuit. Deinde columnas ecclesiae plures annos iacentes intra suum erexit triclinium. Quartum, quod puer eius homicidium perpetravit, quem habet in ministerio irreprehensum. Quintum, quod praedia relictia ecclesiae a Basilissa imperatoris Iuliani matre vendidit, sibi que detinuit precium. Sextum, quod cum uxori propria abrenuntiasset, rursus illi congressus est, filiosque ex ea procreauit. Septimum vero accusationis caput, quod pro lege atque decreto habet, ordinationes episcoporum vendere pro modo reddituum: adsuntque & qui dederunt & ordinati sunt, & ipse qui accepit. Eorumque omnium probationes se habere asserbat. Hoc iudicium cum ob testium absentiam agi non potuisset, mortuo interim Ephesi episcopo, ad petitionem cleri Ephesini cum Ioanne Chrysofomo 70. episcopi Asiae Ephesum conuenerunt, ibique in locum demortui episcopi Ephesini Heraclidem dia-

Tempus & locus Concilii. Numerus episcoporum.

Causa & acta Concilii.

Ephesina Synodus 70. episcoporum.